

# Vita.

---

Natus sum Maximilianus Vopelius, patre Ricardo, matre Helena de gente de Ammon die XXVII mensis Julii a. h. s. LXXII Sulzbachae, vico Rhenaniae. Fidem profiteor evangelicam.

Literarum elementis imbutus primum quidem Sulzbachae scholam, tum Saarbrückae frequentavi gymnasium. Testimonium maturitatis mense Martii a. h. s. LXXXXII assecutus per septem semestria in universitatibus et Ruperto-Carolina Heidelbergensi et Friderica-Guelelma Berolinensi et Friderica Halensi primo chemiae tum autem oeconomiae politicae operam dedi. Scholis interfui virorum doctissimorum:

Conrad, Dilthey, Fischer, Friedberg, de Gneist, Haym, Hübler, de Kaufmann, Kraft, Meyer, Quinke, Scheffer-Boichorst, Schmoller, Sering, de Treitschke, Wagner.

Qui quantum de me per hoc tempus meruerint, gratam semper et piam servabo memoriam, imprimis vero professores illustrissimos Conrad et Sering sincere veneror.

---